

## De Materia et Forma.

### Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Caramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

a) Materiam et formam esse in rerum natura sensuum experientia testatur; quod enim palpamus et videmus, materiam dicimus, modum autem quo materiae partes dispositae sunt, formam nuncupamus. Materia sic accepta idem est ac massa corporis physici in genere, quae nomen peculiare recipit a forma seu dispositione partium, ut nomen mensae, scamni, etc.; et secundum hoc forma est determinativa materiae, et per formam, non per materiam, rem unam ab alia distinguimus: non enim scamnum est scamnum quia est corpus aut quia est ligneum, posset enim esse mensa, manens corpus ligneum; sed quia peculiari modo partes corporis dispositae sunt. Per talem tamen formam res non distinguuntur secundum suam entitatem, sed secundum partium dispositionem, in qua eadem forma consistit: ex eodem namque ligno fieri potest scamnum aut mensa; scamnum autem non erit mensa, et nihilominus eadem numero erit entitas rei vel materia, et eadem etiam esse poterit materiae quantitas, sive scamnum fiat, sive mensa. Si vero scamnum et mensa fiant ex duobus lignis numerice distinctis, tunc non modo distinguuntur secundum formam scamni et mensae, sed etiam secundum entitatem rei, sicut distinguuntur duo ligna praescindendo a forma eorum. Ista quidem distinctio materiae et formae constat experientia, et ex ea desumuntur conceptus materiae et formae secundum quamdam rerum analogiam ad veram materiam et formam, quorum usus, si sobrie et opportune adhibeantur, philosopho utilis est ad theorias dilucide exponendas. Vtiliter v. g. adhibentur in explicandis mutationibus materiae, id est, corporis physici prout subjacet observationi sensibili, non secundum partium dispositionem de qua supra diximus, sed secundum diversas species in quas corpora physica, utpote diversis instructa proprietatibus apparentia, distinguimus. Sicut enim scamnum et mensa conveniunt in eo quod sunt res materiales, differunt autem secundum formam; similiter id in quo diversae res materiales differunt secundum speciem corporis physici, formae nomine non incongrue designatur. Aqua et vinum v. g. corpora sunt specie diversa secundum ea quae de ipsis per experientiam novimus, nempe, secundum proprietates eorum quae in diversis effectibus apparent: ergo aqua et vinum, quatenus corpora sunt, nuncupare materiam, id autem per quod sunt respective aqua et vinum, dicere formam, rationabile valde est, quoniam aliud non est quam iis quae experientia constant, terminis aptis nomen imponere; conceptus enim materiae, secundum oppositionem ad formam, exhibet quid

indeterminatum et genericum, conceptus autem formae quid determinans et specificativam. Verum materiam et formam systematice et a priori rebus tribuere, id est, ante perspectam earum naturam, abusus est intolerabilis horum conceptuum: si qui vero sint quibus talis eorum usus arrideat, quatenus assumitur hypothesis pro philosophici discursus fundamento, nos a tali philosophandi modo penitus abhorremus; non quod hypothesis usum in sensu absoluto improbemus, sed quatenus philosopho non per hypotheses procedendum est ad aedificationem scientiae, sed per observationem eorum quae experimentaliter noscuntur, et per principia evidentialia ordinis idealis. Aliud sane est conceptus materiae et formae rebus jam cognitae applicare ad rerum earumdem notionem illustrandam facilioremque reddendam, aliud vero longe diversum rerum naturam per materiam et formam systematice explicare, ut natura ipsa, antequam notum sit in quo consistat, ad systematicum compositum materiae et formae exigatur, quod omnino est improbandum, cum rerum naturae non dependeant a systematibus ab humana mente excogitatis. Valde cautus proinde philosophus sit oportet in adhibendo aliquo systemate, ne aliqua hypothesis assumatur tamquam thesis, aut quod est ab humana mente excogitatum ad quarumdam rerum notionem illustrandam et facilius communicandam, accipiatur tamquam norma iudicandi quasi a priori de natura aliarum rerum, in quas forte iidem mentis conceptus non quadrant.<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> Exemplo sint Ecclesiae Sacramenta. In Baptismo inveniuntur ex divina institutione ablutio aquae et verba sacra quorum virtute ablutio elevatur ad esse sacramentale; propter quod recte de illo dicitur: — accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. — Cum igitur divina revelatio nobis exhibeat hoc sacramentum duabus rebus sensibilibus in sua essentia compositum, quae se habent ad invicem tamquam quid determinabile et quid determinans, et moraliter uniuntur ad unum efficiendum, merito conceptus materiae et formae in ejusdem sacramenti essentia declaranda adhibentur; talisque est usus rationabilis horum conceptuum, quoniam intellectus noster non ponit sed supponit entitatem in rebus, et ideo nefas est essentiam alicujus rei ex materia et forma compositam dicere, donec compertum sit iis eandem essentiam constare realitatibus quibus conceptus materiae et formae secundum aliquam saltem similitudinem vel analogiam respondere videantur; nisi forte quis mera hypothese contentus sit, quo in casu per conceptus illos non declarabitur quid in re sit, sed quod in ea forte sit aut esse possit, dummodo tamen ratio gravis eidem possibilitati non obstet; praeterquam quod hypothese uti non expediet quoties nedum claritatem vel facilitatem rei discussioni vel explicationi conciliet, obscuritatem potius vel difficultatem inducat, aut etiam alius suppetat modus aut via ad rem quam scire oportet, satis inculcandam. His de causis abusum esse censeo conceptuum materiae et formae, essentiam omnium sacramentorum ex eis compositam pronuntiare; circa quod de sacramento Poenitentiae sigillatim quaestionem hic instituere operae pretium existimo, in cujus essentia, meo quidem iudicio, dicta compositio non datur.

Materiam et formam in omni sacramento inveniri, seu res quae nominibus materiae et formae apte designantur, non negamus; nam in unoquoque sacramento distinguere licet verba ministri tamquam formam, et id in quod verba cadunt,

b) Quibus praemissis de hypothesi compositionis ex materia et forma in substantia corporea sermonem faciamus. Corporis substantiam nemo vidit, nec est aliquo modo sensibilis; ex iis autem quae in corporibus sensibili observationi subjacent, con-

tamquam materiam: materia enim non solum significat id ex quo aliquid fit, sed etiam id in quod actio aliqua terminatur; forma autem denotare potest constitutum rei adaequatum vel inadaequatum. Merito igitur peccata dicuntur materia Poenitentiae, tum quia circa illa versantur actus poenitentis, tum quia in ea cadit absolutio sacerdotis. Item actus poenitentis dici possunt materia hujus sacramenti per comparisonem ad formam seu absolutionem; et non solum materia simpliciter, sed etiam materia proxima possunt nuncupari, quatenus per eos subjectum proxime disponitur ad absolutionem et divinam gratiam recipendam. Denique sicut in Baptismo aqua, quae est materia applicanda, appellatur materia remota, ablutio autem, quae est applicatio ejus, materia proxima; similiter in Poenitentia ex analogia peccata, quae sunt materia destruenda, materia remota, actus vero poenitentis, per quos, ex parte ipsius, peccata destruuntur, materia proxima non immerito nuncupantur. Appellationes istae omnes rationabiles sunt, per eas quippe nihil aliud fit quam conceptus materiae et formae rebus de quarum existentia constat, secundum aliquam analogiam applicare; sed non ita pertinet ad rationabilem usum eorundem conceptuum, materiam et formam seu realitates quae respondeant conceptibus materiae et formae, in essentia ponere sacramentorum omnium. Porro sacramenti essentiam compositam esse ex materia et forma, id est, ex duabus rebus quibus materiae et formae nomina conveniant, neque postulat notio sacramenti, neque divina revelatio aliquo modo significat; et ideo quod verificatur v. g. in Baptismo, sacramentum nempe confici in sua essentia verbis ministri et applicatione materiae seu ablutione, non est necesse ut commune sit omnibus sacramentis, quoniam in una re sensibili ratio sacramenti salvatur, potest enim Deus gratiae collationem solis verbis alligare ministri; et quid nisi hoc significat revelatio, dicente Domino: »Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?« Si ergo revelatio solam absolutionem assignat tamquam causam collationis gratiae, seu, quod idem est, tamquam sacramentum, qua ratione aut quo jure, nisi solius amore systematis materiae et formae, multi ex Scholasticis volunt non in sola absolutione essentiam hujus sacramenti consistere, sed etiam in actibus poenitentis? et quare nisi sola ratione systematis adhibendi, Scotistae, qui Sacramenti essentiam in sola absolutione reponunt, compositionem nihilominus materiae et formae in absolutione ipsa collocare non dubitant? Quid est hoc nisi supponere tamquam certum quod probandum est, imo quod probari non potest, sacramentum nempe omne materia et forma in sua essentia constare? Porro citra hanc suppositionem non intelligitur quomodo Scotistae contendat duo sacramenti Poenitentiae constitutiva sola absolutione contineri, quam ego opinionem omni probabili fundamento destitutam invenio: quid enim similitudinis existit, ad compositionem essentiae sacramenti quod attinet, inter absolutionem et partes essentiae Baptismi, quibus conceptus materiae et formae apprime respondent? in absolutione enim una tantum res sensibilis invenitur, compositio autem materiae et formae in sacramenti moralis est, non physica aut metaphysica, quatenus, videlicet, e duabus rebus sensibilibus coalescit, quae moraliter uniuntur, ut verificatur in Baptismo: unde ergo compositio materiae et formae in unica re sensibili, absolutione? non nisi e systemate omnia explicandi per materiam et formam, unde fit ut compositum hoc Scotistae sibi in mente confingant, et non nisi per vim ad realitatem transferant.

Si autem sepositio systemate, et argumento precedente ex natura rei, obijciatur nobis quod natura ipsa Poenitentiae postulat ut actus poenitentis sint de essentia sacramenti, quodque non repugnat ut subjectum recipiens gratiam ad confectionem sacramenti concurrat, ut in Matrimonio contingit; ad haec respon-

tendunt multi necessitatem inferri compositionis materiae et formae in substantia corporea, saltem quatenus solum systema materiae et formae aptum agnoseunt inter omnia quae ad corporum transformationes explicandas excogitata sunt. — Verum quidem est

demus: 1. quod oportet distinguere reconciliationem peccatoris cum Deo, et justificationem ipsius quatenus est effectus formalis gratiae divinitus infusae. Actus poenitentis sunt utique de essentia reconciliationis sive in sacramento sive extra sacramentum quia reconciliatio importat conversionem hominis ad Deum amoremque reciprocum inter Deum et hominem; et nihilominus hominis justificatio per gratiae infusionem Deo ex integro tribuenda est, quatenus sanctificatur homo Deo communicante illi sanctitatem suam, ut videre est in infantibus, qui per solam gratiae infusionem, nihil agentes per voluntatem suam, sancti fiunt et digni haeredes regni Dei. Praeterea in reconciliatioe extra sacramentum actus poenitentis, qui praecedunt gratiae sanctificantis infusionem, sunt mera dispositio subjecti ad gratiam sanctificantem recipiendam: si ergo extra sacramentum se habent ut subjectum disponentes, non ut gratiae infusionem causantes, cur in sacramento habendi sunt ut pars essentiae sacramenti, cum natura reconciliationis eadem sit in sacramento et extra sacramentum, et haec tantum sit differentia, quoad gratiae infusionem, inter utrumque reconciliationis modum, quod in reconciliatioe extra sacramentum requiritur in poenite conitio ad gratiam sanctificantem recipiendam, in sacramento autem sufficit attritio, quia virtute absolutionis gratia infunditur? Si ergo conitio, quae adeo attritioni praestat, est mera dispositio, extra sacramentum, ad gratiam sanctificantem recipiendam, absque ratione sufficiente attribuitur attritioni causalitas infusionis gratiae in sacramento, cum divina revelatio non modo hanc attritionis causalitatem nullatenus significet, sed soli potius absolutioni ipsam assignet, dicente Domino: »Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.« Solum ergo systema omnia explicandi per materiam et formam ratio est cur actus poenitentis ad essentiam sacramenti Poenitentiae pertinere dicuntur. Praeterquam quod sacramentum istud per modum iudicii administratur, in quo sacerdos iudex est ferens sententiam, Deum offensum et miserantem representans, ad quem poenitens tamquam reus accedit, culparum suarum condonationem ab eo postulans; nonne ergo contra naturam huius sacramenti est quod actus poenitentis sint pars essentiae ejus, siquidem hoc sacramentum actus judicialis est, solius autem est iudicis actum judicialem edere, ad quem reus passive se habet cum actibus suis, qui in ordine ad sententiam absolutoriae petitionis tantum aut congruae dispositionis rationem habere possunt? Nec 2. dicatur quod ab actibus poenitentis provenit tamquam a constitutivo materiali sacramenti, quod sacramentum hoc non tollit reatum poenae temporalis:— ratio enim cur ad hunc effectum non extenditur virtus sacramenti, est finis institutionis ejus. In Baptismo remittuntur peccata et quoad culpam et quoad poenam, quia sacramentum hoc institutum est ad spiritualem hominis regenerationem, quae importat totalem animae purificationem, ita ut nihil sit damnationis, ut loquitur Conc. Tridentinum, in iis qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma, nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Finis vero peculiaris sacramenti Poenitentiae est peccatorem jam baptizatum ad statum gratiae et amicitiae cum Deo restituere, injuncta tamen poenitenti obligatione exhibendi Deo satisfactionem ob injuriam ei per peccatum illatam, uti docet Tridentinum per haec verba: »Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggererit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutare et convenientes satisfactiones injungere. . . . Habeant autem prae oculis ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeritorum peccatorum vindictam et castigationem.« Jam vero, si absolutio sacramentalis instituta esset ad remissionem etiam poenae temporalis, sicut ablutio Baptismi, non deberet satisfactio injungi subjecto Poeni-

illud scholae effatum, „corruptio unius, generatio alterius“; nam revera, corrupto aliquo corpore, corpus aliud specie diversum e corruptione ipsa emergit: sed hoc intelligendum est de corpore prout nostrae est observationi obnoxium. Vtrum vero eandem

tentiae, sicut non iungitur recipienti Baptismum, quamvis sit adultus, sed sufficeret congrua dispositio subjecti, sicut sufficit in Baptismo, ad illum absolutionis effectum. Si autem ex voluntate Christi seu ex fine institutionis sacramenti per absolutionem non remittitur poena temporalis, sed exigitur satisfactio, non est alia ratio quaerenda hujus limitationis in effectibus sacramenti, et sine causa dicitur hanc limitationem deberi actibus poenitentis. Porro vel poenitens vere dolet de omnibus peccatis, vel secus: si dolet, absolutio producet omnem effectum ad quem instituta est, sicut Baptismus; si non de omnibus dolet, nec per ipsum Baptismum remittitur tota poena temporalis, ad quem effectum impediendum sufficit affectus vel ad minimum peccatum veniale. Non igitur propter actus subjecti differunt effectus absolutionis et ablutionis, sed propter finem institutionis ejusque sacramenti; quia data congrua et aequali dispositione, quoad peccatorum detestationem, in duobus subjectis, altero Baptismi, Poenitentiae altero, primo remittitur poena temporalis virtute sacramenti, non secundo, sed ab hoc exigitur satisfactio. Nec 3. demum debet Poenitentiae sacramentum, secundum id de quo agitur, Matrimonio comparari, sed multum ab eo differt. Matrimonium enim est sacramentum unionis, unionem autem, in qua sacramentum consistit, ipsi contra-hentes efficiunt, et ita sunt simul gratiam sacramenti recipientes et sacramenti ministri: Poenitentia vero est sacramentum absolutionis, absolutionem autem solus sacerdos pronuntiat, qui Deum repraesentat offensum et miserantem, et in poenitentem ipsa cadit. Nec obstat quod poenitentis actus requiruntur ad sacramenti validitatem; nam hoc non probat nisi necessitatem eorum; quomodo enim valida erit absolutio, si peccator de suis culpis non doleat? — Soli ergo systemati omnia explicandi per materiam et formam innititur sententia quam impugnamus, cum nullam pro ea solidam rationem, sed multas et graves natura rei suppeditet contra eam. Praeterquam quod ad nihil conducit applicatio praefati systematis in essentia sacramenti Poenitentiae declaranda, et inutilium quaestionum occasionem praebet.

Postremo, quod attinet ad doctrinam Concilii Tridentini circa hanc quam versamus materiam, hoc unum notare sufficiat, quod Patres Concilii, dissensionem inter Scholasticos hac super re probe noscentes, sicuti etiam diversum in scholis significatum integritatis et essentiae, quo sensu actus poenitentis Poenitentiae partes dicendi sint, ita declarant ses. 14 cap. 3: »Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe, contritio, confessio et satisfactio: qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, et ad veram et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, Poenitentiae partes dicuntur.« Si ergo actus poenitentis eatenus a Patribus Concilii ut partes Poenitentiae habentur quatenus ad integritatem sacramenti requiruntur, nemo dicat quod juxta doctrinam Concilii sunt de sacramenti essentia. Porro Concilium nihil definit circa illud quod spectat ad scholae dissidium inter catholicos, sed insectabatur haereticis. — Nec aliquid contra sententiam nostram deduci potest ex eo quod Catechismus ejusdem Concilii animadvertit dicens: (de Sacramento Poenitentiae n. 10) »In eo maxime hoc sacramentum ab aliis differt, quod aliorum sacramentorum materia est res aliqua naturalis vel arte effecta: sacramenti vero poenitentiae quasi materia sunt actus poenitentis, nempe confessio etc. . . . Neque vero hi actus quasi materia a s. synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione.« Haec, inquam, Catechismi verba nihil nostris adversariis favent; siquidem nihil aliud dicunt nisi id quod hujus de Poenitentia disputationis initio asseruimus, actus nimirum poenitentis

corruptionem patiatur corporis substantia metaphysica, ita ut manente materia quam primam apellant, nova inducatur forma substantialis, et ideo necesse sit ponere in substantia corporea compositionem materiae et formae, ecce quod discutiendum est. Cum ad naturam substantiae corporeae observatio sensibilis, ut diximus, non pertingat, non alia sane de causa eadem substantia composita dici potest nisi quia compositione hac non admissa, explicari nequeat quomodo corpora corrumpantur, et consequenter a corruptione alia corpora appareant specie diversa, id est diversis proprietatibus instructa: atqui e tali corporum transformatione compositio praefata substantiae corporeae non concluditur. In primis namque non licet substantiam corpoream a priori confundere cum corpore quod dicimus transformari, talis quippe identitas est praecise id de quo disceptatur, quae proinde supponenda non est, sed probanda. Et quomodo probanda? Certe aliud non suppetit medium quam proprietates corporum, dicendo, diversis proprietatibus diversam respondere substantiam, proindeque substantias per proprietates distingui, et consequenter nonnisi corrupta substantia proprietates mutari. Sed quid sunt proprietates corporum quae transformari dicuntur? Ea quae de proprietatibus istis nobis constant, unde scimus? Profecto secundum diversos modos quibus corpora sensus nostros afficiunt, distinguimus proprietates illorum. Cui autem causae adscribendae sunt mutationes corporum secundum diversos modos afficiendi sensus nostros? Si eorum quae scientiarum physicarum ope hac de re comperta sunt, ratio habeatur, omnia naturae physicae phaenomena, omnes videlicet corporum mutationes sensibilesque affectiones quas ex actione patimur corporum in sensus nostros, non improbabiliter motus diversiformis elementorum effectus esse videntur. Calorem et lucem v. g., ut de aliis taceam, nihil aliud esse, ex parte rei materialis, nisi motum, recentiores physici communiter agnoscunt. Et revera caloris sensatio, (de luce in alia dissertatione disputamus) cum sit animalis passio sensibilis, effectus esse non concipitur nisi alicujus actionis vel impressionis; unde qualiscumque materia cum anima uniri fingatur, et quomodocumque unio fiat,

---

esse veram materiam sacramenti Poenitentiae; non enim ideo dicuntur a Concilio quasi materia quia conceptus materiae ipsis non conveniat, seu quia verae materiae rationem non habeant, sed quia in sua realitate physica differunt a materia v. g. Baptismi, quae est propria materia, physice loquendo, dum actus poenitentis vel peccata non possunt vocari materia nisi translativè. Haec porro est declaratio Catechismi. Sed quid inde? Numquid per hanc declarationem definitum est actus poenitentis non solum esse de necessitate, sed etiam de essentia sacramenti? Numquid non possunt vocari materia sacramenti, si sunt tantummodo necessarii, non autem de sacramenti essentia? Quomodo ergo Concilium dicit de actibus ipsis quod quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti requiruntur, Poenitentiae partes dicuntur?

nihil animal sensibiliter pati potest sublato rei materialis motu. Calor igitur, ex parte rei materialis, non consistit nisi in motu. Cum ergo eadem ratio militet pro calore ac pro omni passiva sensatione, consequens est ut saporum pariter, odorum, sonorum, et omnium sensibilium affectionum solus motus ex parte materiae causa existat. Jam vero corpora sensibilia seu quae sensibili observationi subjacent, nonnisi secundum diversos modos quibus afficiunt sensus nostros, in diversas species distinguimus, seu, quod idem est, hac sola ratione inter proprietates eorum discernimus: si ergo hi diversi modi afficiendi sensus nostros probabiliter debentur diversis modis quibus exercetur motus elementorum, non est necesse ad corruptionem vel compositionem recurrere substantiae corporeae ad explicandas corruptiones corporum quae secundum suas proprietates vel species transformari cernimus. Compositio igitur materiae et formae in substantia corporea, omnibus quae scientia experimentalis novimus de rebus corporeis, mature perpensis, nequaquam ex iis concluditur, sed ad summum est mera hypothesis nec necessario admittenda, nec respuenda. Equidem corpora quae ab una specie in aliam mutantur cernimus, possunt appellari substantiae, siquidem substantia corporea in eis continetur; sed non est confundenda substantia corporea cum speciebus ipsis quae mutationi sunt obnoxiae: sic licet corrumpitur vel mutatur species corporis sensibilis, dum aqua resolvitur in oxygenium et hydrogenium, non ideo corrumpitur substantia corporea; quia proprietates quibus aqua ab aliis corporibus sensibilibus specie distinguitur, motus elementorum effectus esse possunt, inalterabili manente substantia eorum.

c) Sed ulterius adhuc disputatione nostra progredimur, et addimus, compositionem substantiae corporeae ex materia prima et forma substantiali rejiciendam esse ut absurdam. Ad hoc suadendum multae rationes haud parvi ponderis afferri possunt, quae tamen fere omnes ad unam revocantur, nimirum, impossibile esse aliquam substantiam esse compositam. Quid enim erunt ejus componentia? non accidentia; pugnat enim cum notione accidentis constitutivum esse substantiae. Quid ergo erunt substantiae partes? necesse est enim ut sint entitates distinctae et actu simul existentes, alioquin compositum efficere non possunt, quod enim una constat entitate, simplex est, non compositum. Si autem unaquaeque pars substantiae habet propriam entitatem, cum haec non sit accidens, non potest esse nisi substantia: nam quaevis entitas vel talis est ut seipsa existat, et haec est proprie entitas, quam substantiam dicimus; vel talis est ut existat inhaerens alteri, et haec non dicitur entitas nisi in quantum aliquid importat realitatis, haec enim realitas, cum sit alterius entis, potius quam ens, dicitur entis ens et propterea talem entitatem accidens appellamus.

Cum igitur inter existere seipso et existere inhaerendo alteri non detur medium, partes autem, quae supponuntur, substantiae, non sint accidentia, necesse erit, ad tuendum systema materiae primae et formae substantialis, substantiam corpoream dicere compositum substantiarum, et sic natura substantiae corporeae non declaratur, quia in singulis compositi partibus integra continetur. Negant utique adversarii non dari medium inter substantiam et accidens; sed negant gratis, solius nempe amore systematis: hypothesim enim quae ut sit admissibilis, aliqua debet gravi ratione fulciri, nec alicui gravi rationi opponi quae illam improbabilem reddat, pro fundamento assumunt, praefatae negationis. Quid enim respondebunt ad propositum dilemma? conclusionem sane ejus nemo rejiceret, si systema de quo agitur, inventum non esset. Haecce ergo est legitima philosophandi ratio, ut amore hypothesis conclusio quae ex ipsius rei de qua agitur, notione legitime deducitur, respuatur?

d) Deinde, quid est materia prima? Si, ut multi volunt, est pura potentia, cujus actus est forma; ergo unus est actus, id est, una realitas physica, una entitas in substantia corporea; et proinde simplex est, non composita, substantia ipsa; quod enim duabus saltem non constat partibus seu realitatibus physicis, simplex apud omnes audit. Quomodo insuper erit materia prima constitutivum substantiae praeter formam, si per se non est actus vel entitas? Si autem, ut aliis placet, materia prima est per se actus seu realitas physica, tunc pars altera, quae appellatur forma substantialis, jam non est talis forma respectu illius, siquidem non dat ei esse determinatum, cum unaquaeque pars proprium esse habeat; vel, si magis placet, jam non est opus forma substantiali, siquidem munus ejus est materiam in determinato esse constituere, quod in hypothesi habet materia independentem a forma, seu distinctum ab entitate formae.

e) Equidem corrumpuntur corpora, quae videlicet sensibili observationi subjacent: sed quomodo corruptio fit? non aliter sane quam per partium quibus corpus componitur, segregationem; quid enim erit corruptio, si non est partium segregatio? certe ubi non est compositio, corruptio esse non potest. Neque compositio qualiscumque sufficit ad corruptionem, sed requiritur compositio ex partibus in sua singulis realitate physica actu existentibus: non enim sufficit quaelibet distinctio realis, uti v. g. distinctio potentiarum in anima; neque possunt, quae actu non existunt, ab invicem separari. Jam vero necessario existunt in corporibus elementa simplicia, quorum corruptio est impossibilis, quia non sunt in eis partes physicae ab invicem separabiles; et in quibus singulis integra continetur substantia corporea: ergo impossibilis est ejusdem substantiae corruptio, quia elementum quo ipsa con-

tinetur, est inalterabile. Necessario, inquam, existunt incorporibus elementa simplicia, quoniam si omnes partes quibus corpora componuntur, supponantur compositae, jam non erunt omnes partes, siquidem singulae constabunt aliis partibus. Hoc est evidentissimum. Porro si in numero partium partes minimae non computantur, praeterrmittuntur illae precise quas elementa simplicia vocamus: si vero minimae computantur, absurdum est eas compositas dicere, quoniam est confundere totum cum parte. Profecto elementum simplex est de ratione vel essentia compositi: in unione enim consistit compositio, ponere autem compositionem in componentibus seu in iis quae ad compositionem efficiendam uniuntur, est aberratio et contradictio manifesta. Ridiculum sane foret compositum definire per unionem compositorum. Simplex autem esse et indivisibile unum et idem sunt: et sola quidem simplicitas indivisibilitatis est ratio. Non enim indivisibile est quod dividi non potest propter impotentiam dividendi, sed quod propter suam simplicitatem dividi nequit neque per potentiam Dei. Quod autem compositum est, praescindendo a numero partium, etiamsi per impossibile infinitus esset, unico actu vel divisione resolvi potest per Dei potentiam in suas partes simplices, quae necessario sunt actu simul existentes, alioquin compositum non efficerent. Itaque ex eo quod divisiones materiae vel corporis physici ab homine factae multiplicantur vel sibi succedunt quin ad ultimam ei liceat pervenire, et per naturam ipsam dividuntur corpora in partes minutissimas et innumeras quae omnino sensus aciem effugiunt, irrationabiliter infertur materiam esse divisibilem in infinitum, vel non esse in ea partes simplices. Quod enim divisiones materiae multiplicentur vel sibi succedant, hoc non est adscribendum naturae rei, siquidem Deus potest separare instanti omnes partes simplices quibus corpus aliquod componitur; sed impotentiae causae dividendi vel defectui mediorum ad separandas easdem partes simplices. Porro in serie rerum producendarum vel entium successive existentium infinita virtus causae producentis, qualis est virtus Dei, ratio est cur productiones possint multiplicari et sibi succedere sine fine: ea autem quae simul existunt, licet numero infinita per impossibile supponantur, possunt omnia unico actu vel instanti conjungi vel separari, dummodo par sit tali effectui potentia unientis vel dividendi. Sive ergo magnus sit, sive parvus, numerus partium corporis physici, existunt in omni corpore elementa simplicia, et consequenter inalterabilia.

f) Hucusque dicta plane sufficiunt ad incorruptionem substantiae corporeae concludendam: sed altiore adhuc ratione nostram pergitur confirmare sententiam. Substantia rei est esse rei, quod per creationem a Deo producitur: ita autem esse rei fit a Deo, ut a solo Dei, qui est ipsum esse subsistens, pendeat influxu;

quo quidem influxu cessante, res necessario desinit esse, sicut ipso perdurante nequit esse rei destrui aut alterari; quoniam actio Dei, quae est dare esse, nequit actione creaturae frustrari effectu, si adsit, aut si desit, suppleri. Omnis ergo substantia aeternum manet qualis a Deo creata est, nisi a Deo ipso annihilatur.

g) Postremo de corporum extensione aliquantum disseramus ad dissipandas difficultates quae circa elementorum simplicium existentiam ex falso extensionis conceptu oriri possint. Extensio non concipitur nisi ut compositio, et nihil aliud est nisi magnitudo vel quantitas corporum quae ex unione resultat partium materiae. Si corpus extensum in multa corpora per divisionem resolvatur, ut si tabula v. g. dividatur in partes, eadem entitate totius manente in partibus, totum tamen desinit esse totum, seu desinit esse secundum extensionem totius: unde patet extensionem non esse aliquam realitatem vel entitatem, quamvis utique realis est, nam in eo consistit quod partes extensi existant unitae per continuitatem vel contiguitatem. Quod autem dictum est de tabula et divisione ejus, intelligendum est, ut patet, de ulterioribus etiam divisionibus in partibus ipsius, atque de omni extenso, magno vel parvo; unde etiam de divisione per quam separentur corporum elementa simplicia, quae a Deo sane fieri potest, seu de separatione partium quae aliis partibus non componuntur. Si ergo totum determinatum, id est, corpus aliquod extensum, facta divisione ejus, desinit esse illud totum, quia desinit esse quod erat secundum extensionem, et consequenter extensio non consistit nisi in unione partium; manifestum est partes materiae, quae sunt simpliciter partes, seu in quibus non est unio partium minorum, quia illae sunt minimae omnium, esse inextensas. Nec dicas non posse non esse in partibus quod invenitur in toto, et ideo partes extensi necessario esse extensas: nam unum convenit toti quod partibus convenire nequit, et hoc est esse totum: si ergo extensio non est aliqua realitas physica, ut supra ostendimus, sed habet rationem totius, quia in realitatum consistit unione et summa, manifestum est eandem esse oppositionem inextensi ad extensum atque partis ad totum vel unitatis ad numerum; et idem esse unione partium effici compositum, vel effici totum vel extensum; et consequenter partes quae sunt simpliciter partes, seu in quibus non est compositio, esse inextensas. Quae nihilominus sunt elementa quibus componitur extensum, sicut pars quae non est totum, est elementum totius, et unitas quae non est numerus, est elementum numeri. Itaque idem est in elementis corporum simplex esse, vel indivisibile vel inextensum. Caeterum, quamvis simplicitas et extensio sunt opinione nostra impossibiles, imo et contradictionis extrema, nihil tamen refert, pro disputationis nostrae scopo, quod elementa primigenia materiae extensa habeantur, dummodo, prout

est quorundam opinio, agnoscantur simul et simplicia; nam simplicitate satis habemus ad incorruptionem substantiae corporeae adstruendam. Haec porro simplicitas non est simplicitas perfectionis, qualis est simplicitas substantiae spiritualis, sed simplicitas, ut ita dicam, negationis, quia in eo consistit quod unum non est multa seu aggregatio multorum: et ideo in materiae elementis est aptitudo ad compositionem seu ad unionem compositionis, quod de spiritali substantia non verificatur.

h) Equidem systema materiae primae et formae substantialis multis arridet auctoribus sapientia commendabilibus; verum philosophiae studiosos enixe rogo ut in iis quae Deus reliquit disputationi hominum, non tam ad scriptorum auctoritatem attendant quam ad momenta rationum quae afferuntur. Systema istud peperit, non rei evidentia, aut ratio aliqua substantiae corporeae intrinseca, sed vel phantasiae vividitas, quae conceptus materiae et formae, e mutationibus rerum sensui apparentibus desumptos, substantiae corporeae aptavit; vel mentis indigentia, quae, alio medio generationes et corruptiones corporum explicandi ob rei difficultatem sibi non occurrente, systema ipsum excogitavit. Quamvis autem medium aliud non suppeteret, quod ostendimus esse falsum, cordati philosophi non est hypothesim amplecti cui rationes gravissimas, quales sunt quae nostrae favent sententiae, intelligit refragari. Quae autem explicari prae materiae difficultate non possunt, sine explicatione ultro relinquuntur; multa quippe sunt quae palpamus et videmus, quorum tamen primam rationem intrinsecam attingere non sufficit humana mens: numquam vero apud philosophiam erit approbatione dignum argumenta principii certis innixa hypothesi posthabere ob desiderium explicandi quae intelligi vix aut ne vix quidem possunt.

